

MONASTERIUM SCHUTTEREN &c. 133

XXVII. Monasterium *Offenwillare* in laudato libro Augiensi occurrit, notanturque *Domnus abb. Beretrich, Wenibertus abb. Malabertus abb. Petrus abb.* Ex quibus duo priores manu primigenia seculi IX. reliqui paulo recentiore sunt adscripti: ad finem vero columnæ secundæ *Erchanpertus abb.* illis connumerandus. Quatuor istos abbates monasterio Offonis villæ in Lotharingia afferere voluit Calmetus in notitia Lotharingæ: sed perperam id fieri vult Grandidier, quum in illo libro Offenwillare inter Ettenheim & Gengenbach medium notetur, adeoque Schutterense monasterium ibi sit intelligendum. Iam in superius citato constituto Ludovici Pii an. 817. in prima classe monasteriorum, *quæ dona & militiam facere debent*, monasterium *Offunwilarii* notavimus.

SECVLVM
IX.

Schuttera-
num seu Of-
fenwilar.

T. II. p. 170.
Hist. eccl. Arg.
T. I. p. 339.

In necrologio apud Schannat inter Schutterenses abbates, magno numero usque ad Eberhardum, qui medio seculo X. abbas fuit, notatur *Erkenbertus Kal. Iulii*, quem modo ex cod. Augiensi legimus; Grandidier eundem esse putat cum Egiberto, cuius concambium in codice traditionum Lareshamensium habetur ad annum 881. cum Babone abbate Lareshamensi initum. Idem *Scuturense*, uti vocatur, cœnobium an. 885. monasterio S. Galli fœdere sociatum exhibet: quod tamen in vetustissimo fratrum conscriptorum libro seu necrologio non occurrit.

Vindem. list.
ter. p. 18.

l. c. p. 340.

T. II. p. 533.

T. II. appendix
n. 177. p.
CCLXXVI.

Notandum vero, nullum memoratorum supra abbatum recenferi inter primos monasterii abbates tam apud Schannat, quam in catalogo eorumdem sine nota chronica nuperrime in Austria sacra edito: in quo exordium ducitur a primo abbate Folkerno I. cui subiicitur Simon, huicque tertio loco Diepoldus, de quo ipso potius quam eius cognomine loquemur libro proximo. Existimamus autem, collectorem huius catalogi ex necrologiis excerpisse nomina abbatum, nulla epochæ alicuius habita ratione: qualis etiam apud Schannatum huius monasterii, & apud alios auctores alii eiusmodi variorum monasteriorum leguntur catalogi.

P. I. Vol. II.
p. 176.

XXVIII. In superius memorato necrologio San-Gallensi primum occurrit monasterium de *Ghanginpach*, quod ad nostrum censum referremus, nisi postea magnus numerus fratrum de *Kenginbach* legeretur, quos inter primi notantur *Emilo abb. Alfram abb.* In Augiensi quarta demum columna *Alframus abbas, Ammilo. Ligido abbas.* Præcedente iam libro magnum Abbatum Gengenbacensis in Ortenavia ad fauces Nigræ Silvæ monasterii numerum notavimus ex chronico & necrologio apud Lunigium, usque ad Reginboldum, qui mortuus est anno 1028. In ora libelli societatum cum monasterio Augiensi perperam recentiore manu Gen-

Gengenba-
cense.

Spicil. Eccles.
T. IV. p. 290.